



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

4. Quæ res vendi non possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

dimidium illius acceperit. Igitur in aestimatione laesione ultra dimidium spectari debet non solum pretium, ut voluit, sed & res ipsa, eaque conferenda cum pretio dato: nam hac consideratione patet emptorem, qui pro re, valente decem, dedit viginti unum, esse deceptum ultra dimidium, quia non accepit dimidium eius, quod dedit; quamvis tum etiam dici possit deceptus ultra duplum, si solum pretium spectetur.

2. Attamen praecise agi non potest ad rescindendam venditionem ex capite laesione ultra dimidium, sed emptor deceptus potest vel rescissa venditione rem restituere, repetito pretio, vel, manente venditione, repetere partem pretii, quam ultra dimidium solvit. Similiter si venditor deceptus sit, in electione & arbitrio est emptoris, vel supplere, quod iusto pretio deest, vel rem restituere, *cap. Cum dilecti versio quia vero h. s.*

3. Porro tamen si ob laesionem infra dimidium iusti pretii lex, ut dixi, non rescindat venditionem, sed talem laesionem toleret: tamen non ideo licet alterum contrahentium usque ad dimidium iusti pretii circumvenire, sed iusto pretio res vendi & emi debet. Nec obstat *l. In causa 16. D. De minor.* quia quod ibi dicitur, licere contrahentibus naturaliter se circumvenire, intelligi debet infra latitudinem iusti pretii, quod est vel summum, vel medium, vel infimum. Neque enim licet vel plus vendere, vel minoris emere, quam valeat, ne quidem infra dimidium iusti pretii. Ideoque qui vel plus vendit, quam res summo pretio valeat, vel minoris emerit, quam valeat infra infimum pretium, peccat procul dubio, & tenetur ad restitutionem. *D. Th. 2. q. 77. art. 1. Unde & Pont. inc. 1. hoc tit.* vetat, ne quis carius vendat transeuntibus, quam aliis. Verum neque lex, neque etiam Canon, rescindit emptionem, licet supra summum pretium, res vendita sit, dummodo non ultra dimidium iusti pretii.

## §. IV.

Quae res vendi non possint.

1. *Vendi non possint res spirituales, sacra, publicae, &c.*
2. *Res item dotales regulariter,*

3. *Duplex ex hoc contractu actio nascitur, empti, & venditi.*

1. **P**ORRO cum ante dixerim, quamlibet rem vendi posse, nisi vel natura, vel ius gentium, vel mores civitatis eas commercio hominum exemerint, paucis hic quoque proponendum, quoniam sint eiusmodi res. In primis itaque res, quae non est, nec futura spectatur, servus, vel equus mortuus, vendi non potest. Secundò, Res spirituales, ut iurisdiccionis Episcopalis, beneficia, ordines Ecclesiastici. Tertiò, Res sacrae, religiose, sanctae, ut vasa sacra, vestes, alaria, reliquiae Sanctorum. IV. Homo liber V. Publicis usibus destinata, seu res universitatis, ut forum publicum, via publica, basilica: a privatis scilicet hominibus; alioquin talia vendi ab universitate ipsa possunt. VI. Res dotales, vel donatae propter nuptias licet uxor consentiat. Exceptis certis casibus: uti in *e. Pervenit hoc tit.* veluti si pretio aestimata sit dos, & maritus, alia bona habeat, si vendat dotem ex causa necessaria, non voluntaria; si convectat in utilitatem uxoris, vel si uxor consentiat, iurjurando adhibito, si per se, si per procuratorem, cui ad hoc dederit speciale mandatum, *c. ult. de procurat. in 6.* aut maritus ad divisionem fundi dotalis provocetur à socio, qui habeat sibi fundum communem. VII. Litigiosa res, vel restitutioni obnoxia. VIII. Venena, nisi alterius materiae adjectione possint fieri salubria, *l. Quod saepe 35. §. veneni D. hoc tit IX.* Non licet iudici iudicium justum vendere, vel testi testimonium. Advocato tamen permittitur est vendere patrocinium justum, & iuriconsulto consilium justum. *can. Non licet xi. qu. 3.* & sic de similibus, quae brevitate causa omitto.

3. Denique ex hoc contractu duae oriuntur actiones: una dicta ex empto, quae datur emptori contra venditorem, ad petendam rem venditam: altera dicta ex vendito, quae datur venditori contra emptorem, ad petendum pretium; de quibus in *Tit.*

*D. De actionib. empti & venditi.*